DE

FISTVLA LACRYMALI

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRAESIDE

BERNHARDO CHRISTIANO
OTTO

PHILOS. ET MEDIC. DOCT. MEDIC. PROFESS. P. O.
SOCIETAT. PATRIOT. OECONOM. SILES. ET MARCH.
PHYSIOGRAPH. LVNDENS. NATVR. SCRVTAT. BEROL. ATQVE HALENS. SODAL. ORDINIS MEDICI
H. T. DECANO,

A. D. XI. MAJI MDCCCI.
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE
GRADVM

LEGITIME CAPESSITVRVS
PVBLICE DISSERET
AVCTOR

GEORGIVS LEBRECHT ANDREAS
HELLING,

MEGA-SALTZANO-MAGDEBVRGENSIS.

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

VIRO

GENEROSISSIMO ATQVE
ILLVSTRISSIMO

JOANNI DANIELI
de SCHEIBLER

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI IN REI IVDICIARIAE CVRA ATQVE TRIBVNALIS SVPREMI A CONSILIIS INTIMIS, COLLEGII MEDICI ET SANITATIS SVPREMI PRAESIDI PRINCIPI, NEC NON COLLEGII MEDICO CHIRVRGICI GRAVISSIMO DIRECTORI PRIMARIO etc.

VIRO

ET MVNERVM GRAVITATE, ET EXQVISITAE DOCTRINAE COPIA INSIGNI,

ITA

LITTERATORVM HOMINVM

FAVTORI SINGVLARI

NEC NON

VIRO

EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

CHRISTIANO LVDOVICO MVRSINNA

AVGVSTISSIMI BORVSSORVM REGIS E SVPREMIS CHIRVRGORVM CASTRENSIVM PRAEFECTIS SECVNDO, IN COLLEGIO MEDICO CHIRVRGICO CHIRVRGIAE PROFESSORI PVBLICO PRIMARIO, LEGIONIS PEDITVM MOELLENDORFIANAE CHIRVRGO LEGIONARIO, IN NOSOCOMIO REGALI, A CHARITATE DICTO, PROTOCHIRVRGO ATQVE ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTRO PRINCIPI, ACADEMIAE CAESAREAE JOSEPHINAE VIENNENSIS, NEC NON SOCIETATIS, QVAE GOETTINGAE EST, ARTIS OBSTETRICIAE CVLTORVM MEMBRO,

FAVTORI ET PRAECEPTORI

SVMMOPERE SIBI COLENDO,

NASCE

PRIMITIAS ACADEMICAS

PIENTISSIMA MENTE

DAT DEDICAT CONSECRAT

A V C T O R.

INTRODVCTIO.

In iis vitiis, quae non nifi fingulas corporis humani partes male habere folent, haud infimum fane locum obtinet *fiftula lacrymalis,* cuius cauffam pariter ac medendi rationem a diuerfis medicis alio atque alio expofitam effe, conftat, modo. Qui morbus, etfi rariorum numero accenfendus, tanto maiorem attentionem defiderat, quanto facilius exitu fallitur exquifitiffima curantis diligentia, quantoque faepius erratum eft in hac ipfa re. Enimuero antiquiorum circa explorandas viarum lacrymalium functiones ftudium remiffius diu obfuit, quominus morborum, has partes occupantium,

tium, alius ab alio probe difcerneretur*). Hinc quoque falfae iftae de fiftulae lacrymalis origine et natura opiniones, olim vigentes, poftmodum vero ab HEISTERO POTTIO, RICHTERO aliisque viris celeberrimis maximam partem retractatae, atque emendatae.

Quamquam praeterea morbi noftri curatio ad chirurgum magis quam ad medicum pertinere videatur, faepe tamen ab hoc folo opem pofcere aegrum oportet, quoniam haud raro variolae, morbilli, catarrhi rheumatifmi, arthritis, lues venerea aliaque valetudinis aduerfae genera in cauffa funt. Hanc ob rem manu, etfi dexterrime adhibita, fruftra faepe medebitur, qui cauffas illas neglexerit. Immo potius malum, vbi iam difparuit, ferius ocyus et reuertitur, et atrocius vrget.

*) Vid. MERZDORF de fiftula et blennorrhoea viarum lacrymalium.

Caput

Caput I.

De
viarum lacrymalium functione.

Ex modo dictis ſatis luculenter euadit, curantem inprimis noſſe debere; morbus noſter in toto corporis ſyſtemate, an tantum in vitio quodam oculorum topico ſit quaerendus, atque hoc vbi eſt, qua ratione organa ſubtilia, quae prope oculos in conſpectum veniunt, affici queant atque morbo praeſente afficiantur.

Hunc in finem monuiſſe iuuabit, viarum lacrymalium, ſi harum functiones reſpicimus, duo eſſe genera; quoniam ex his aliae, lacrymis ſecernendis inſeruientes, bulbum oculi lubricum humidumque reddunt, eumque et a frictione continua, et ab aëris iniuriis tuentur; aliae lacrymas ſuperfluas, poſtquam eas abſorbuerunt,

runt, primo in receptaculum ipſis proprium, deinde per ductum naſalem ad cauum narium perducunt.

Priori ordini adſcribi debent

1) Vaſa arterioſa coniunctiuae, quae ad generandas lacrymas multum ſine dubio conferunt.

In tranquillo oculi ſtatu ſecretio obſeruatur vix ſenſibilis. Minimo vero, quod oculo adhibitum eſt, iritamento, tam copioſum naſcitur ſaepe lacrymarum profluuium, vt vix tantum humoris ſecerni poſſe crederes. Prae ceteris hoc faciunt aër frigidus, fumus, vapores volatiles ex cepis, allio, raphano ruſticano, ammonio carbonico etc. ad nares oculosque deuenientes, puluis aliaque id genus corpuſcula, animi triſtes affectus etc.

Ex harum cauſſarum omnium ac ſingularum effectu iam ſatis patet, ingentem dari vaſorum lacrymas ſecernentium numerum. Neque cum aliis contenderem, ſecerni lacrymas ab innumerabilibus glandulis, in tunica coniunctiua oculi detectis, quia ſententiae contrariae fauet non ſolum

ſolum ratio, ſed etiam virorum ſummorum auctoritas. Deinde huc pertinet

2) Glandula lacrymalis, quae in palpebra ſuperiore ſub plano orbitali ſuperiore ſita verſus canthum oculi externum reſpicit. Eſt quidem ea e glandulis conglomeratis atque multis ductibus excretoriis, humorem ſuum ſupra marginem tarſi vicinum in palpebra ſuperiore effundentibus, inſtructa. Horum quidem ductuum, qui primo in oculo balaenae, dein quoque apud homines obſeruati ſunt *), quinque vel octo vulgo numerantur.

Rosenmveller**) duas dari cenſet glandulas lacrymales vaſis, neruis propriisque ductibus coniunctas; alteram nimirum ſuperiorem maioremque, alteram inferiorem atque minorem, quam vel glandulae congregatae Monroi ſynonymo inſignitam eſſe legimus.

Ob-

*) Vid. Mayers *Beſchreibung des menſchlichen Körpers. 5. Bd.*

**) Deſcriptio anatomica partium externarum oculi humani.

Obſeruaui itidem nuper in oculis humanis, quorum nonnullos hunc in finem caute diſſecui, ſimile corpuſculum glanduloſum, eodemque loco, quo auctor modo memoratus illud ſitum eſſe docet, ſub aponeuroſi nimirum muſculi orbicularis et leuatoris palpebrae ſuperioris. Quae vero glandula vtrum ſimplex, an ex duabus conflata ſit, arbitri doctiores iudicent.

Quidam auctores ad ductus ſecretorios etiam referunt

1) paruas illas Meibomii glandulas in ſuperficie interiore marginis palpebrarum tarſum inter et coniunctiuam ſitas. Verum diligentiore harum partium exploratione docti ſcimus, non lacrymas, ſed potius pinguedinem quandam, quae lacrymas mixta bulbum oculi lubricum conſeruat, ab illis corpuſculis ſecerni, ideoque eadem nequaquam in viis lacrymalibus haberi poſſe.

2) Carunculam illam lacrymalem, ſcilicet eminentiam rotundam, quae in cantho naſali prope iuncturam palpebrae vtriusque ſita atque ibidem membrana quadam

ſemi-

femilunari, quae aliis nictitans fiue palpebra tertia audit, operta, a partibus vicinis facile difcernitur rubore fuo, qui ab ingente vaforum fanguiferorum ibidem repentium numero proficifcitur. Sed etiam ex hac glandula nihil lacrymarum, fed itidem pinguis quidam humor, bulbo oculi lubricando inferuiens, fecernitur.

3) Sunt, qui lacrymas ex humore oculi aqueo fecerni, et fecretionem iftam fub forma vaporis per interftitia tunicae corneae fieri contendunt, eamque euaporationem poft mortem adeo continuari; id quod ex corneae collapfu, in corporibus mortuorum poft obitum ftatim confpicuo, probare conantur.

Qui tamen collapfus minime ab euàporatione, fed potius ab eiusdem humoris àquofi infpiffatione fublatàque fecretione prouenit, vt in omnibus corporis partibus liquidis poft mortem accidere folet. Idcirco vel huic opinioni affentire prohibemur.

Alterum viarum lacrymalium genus eas partes comprehendit, quae humorem fecretum

ſecretum abſorbendo excernendoque inſerviunt. In his haberi merentur

1) Canaliculi lacrymales, qui inter cuiuslibet palpebrae laminam interiorem et exteriorem proxime canthum oculi internum ſiti a Cel. ROSENMVELLERO ductus lacrymales laterales appellantur *). Horum canaliculorum vterque exit in orificium puſillum, ſubalbidum, annuloſum, cartilagineum, ex condenſata tela celluloſa formatum, *punctum lacrymale* dictum. Huic quidam ſphincterem adeo tribuerunt, ob continuam eius contractionem, cuius ope lacrymae ad ſaccum lacrymalem deducendae abſorbentur. At diligente ſcrutatione euictum eſt, vim punctorum lacrymalium contractilem nequaquam a ſphinctere quodam oriri, nec memoratos ductus, (ductus laterales lacrymales ROSENMVELLERI) fibris muſcularibus eſſe inſtructos, ſed harum partium motum ad abſorbendas excernendasque lacrymas neceſſarium, a muſculo palpebrarum orbiculari prouenire.

2) Saccus

*) l. c. p. 39.

2) Saccus lacrymalis, et quidem membranaceus, ſub ligamento palpebrali muſculi orbicularis interno in peculiari quadam foſſa depoſitus, quae ab oſſe vnguis et a ſuperiore parte ſuperficiei poſterioris proceſſus naſalis oſſis maxillaris conſtruitur.

Anatomici*) quidam, quibus non probatur *ſacci lacrymalis* denominatio, ductum lacrymalem rectius appellari credunt canalem illum membranaceum, in quo lacrymae depoſitae retinentur, donec earundem per nares euenit excretio. Eodem quoque nomine ab iisdem quandoque ſigillatus eſt ductus excretorius, per quem lacrymae ad narium cauitatem deponuntur.

Quamuis vero ſaccus lacrymalis et ductus naſalis continuo conſtent canali et in hoc ſolo a ſe differant inuicem, quod huius ductus pars ſuperior ampliorque ſacci formam exhibeat, nullo tamen iure priſca illa *ſacci lacrymalis* denominatio reiicienda eſſe videtur.

Functiones etiam totius canalis non ſunt eaedem; amplioris enim partis aliter fiunt

*) Rosenmveller l. c.

fiunt ac anguſtioris. In priori loco memorata lacrymae per canales lacrymales adductae aliquamdiu retinentur, per alteram autem, abſente omni morbo, ſine remora in narium cauo, ab iisdem humectando, deponuntur. Quare etiam anguſtior pars ſacci lacrymalis, deorſum prorepens, peculiare illud *ductus naſalis* nomen accepit. Qui poſtquam a ſuperiori et ampliori parte ſacci deceſſit, ad nares deſcendit, paullisper retrorſum flectitur, atque demum concha inferiore opertus per foramen oblongum ad membranam naſi pituitariam tendit. Eadem membrana vtrumque ductum naſalem intus obducit atque ibidem multas plicas ſiue rugas format, ita quidem, vt in ſuperiore cuiuslibet ductus parte plica quaedam ſemilunaris in conſpectum veniat.

Nonnulli auctores *) cuilibet ductui, praecipue autem ſacco lacrymali, quem cum

---

*) Vid. Richter, *Wundarzneik.* S. 387. Cf.
Beer, *pract. Beobacht.* über *Augenkrankheiten.* S. 11.
Janin, memoires et obſerv. ſur l'oeil.
Plenckii, hygrologia corp. humani.

cum vesica vrinaria conferebant, musculum sphincterem tribuerunt, ideoque lacrymas modo retineri, modo emitti posse rati sunt. Cui assertioni maxime fauit vana quorundam de fibris muscularibus ductus nasalis opinio. Cum autem inter eos viros, qui omnem aetatem suam transigerunt in partium corporis humani studio, nemo adhuc adhibita omni attentione eiusmodi fibras detegerit, tutius erit, si hanc rem plane indemonstrabilem in medio relinquimus. Quid porro obstaret, quominus lacrymae ob solam, quae ipsis propria est, grauitatem ex sacco lacrymali in ductum nasalem indeque in cauum narium destillare possent? Praeterea quilibet ductus lacrymalis ossibus ita circumseptus est atque iisdem a pariete suo posteriore tam arcte adhaeret, vt de vi eiusdem contractili prorsus non sit cogitandum. Contra vesica vrinaria, de cuius fibris muscularibus nemo dubitat, quaeque nullis ossibus coarctatur, extensioni pariter ac contractioni tolerandae accommodata est. Musculum autem orbicularem, qui palpebras claudit, ad sacci lacrymalis compressionem atque huic superuenientem humoris contenti excretionem multum contribuere, in propatulo est.

Quamdiu lacrymae, ab altero viarum lacrymalium genere ſecretae, ab altero dextre recipiuntur atque excernuntur, tamdiu harum partium ſubeſſe dicitur integritas. Alterutra autem harum partium turbata functio, ſi diu atque citra omnem noxam extrinſecus venientem perdurat, morbi localis indicat praeſentiam.

Eiusmodi morbus, qui impedimento eſt, quo minus lacrymae ad membranam narium pituitariam deponi queant, oculo ſemper lacrymante, naſoque praeter conſuetudinem ſicco, communi fiſtulae lacrymalis nomine venit. Quamuis autem impeditus iſte lacrymarum tranſitus in naſum proxima huius morbi ſit cauſſa, parum tamen conuenit malo incipienti fiſtulae lacrymalis denominatio.

Quamobrem plurimi auctores, re curatius ponderata, illam denominationem tunc demum adhiberi poſſe docuerunt, quando fiſtulae cuiusdam apertura externa, quae ad ſaccum lacrymalem vsque penetraret, conſpectui obiiceretur. Melius itaque feciſſent, qui nuperrime hanc materiam litteris pertractarunt, RICHTER, BEER, BELL, aliique auctores clariſſimi, ſi miſſo omni morbi

morbi nomine caussas tantum respexissent, fistulae autem lacrymalis denominatione non nisi ex ratione sufficiente vsi essent.

Recte igitur WALLIS *) „*ridiculum sane est*, inquit, *vbi malum quoddam fistulosum nominatur, fistula tamen nulla locum habente. Recentiores vero duas istas diuersas species, pariter ac tertiam, fistulas lacrymales nominant.*“

POTT eiusdem est opinionis, **) monens: „*absurdum esse, fistulam lacrymalem vulgo appellari illum morbum, qui forma et caussa sua ab illa longe differret.*“

Ob has quidem rationes vel ab antiquiore morbum nostrum diuidendi methodo recessi, caussarum potius et effectus rationem habiturus.

*) Nosologia methodica oculorum.

**) *Von der Thränenfistel, 3. Abschn. S. 10.*

Caput II.

De obſtructione ductus naſalis.

In cauſſis autem, quae fiſtulae lacrymalis ſic dictae anſam praebent, primo recenſeri debet canalis naſalis obſtructio, quam ſubeſſe colligimus, ſi lacrymarum in ſacco lacrymali collectarum nihil quidquam ſua ſponte vel ex artificiali receptaculi compreſſione in naſum defluat. Oritur deinde ob nimiam lacrymarum copiam tumor minor maiorue in cantho oculi interno, tunicis tamen eiusdem non inflammatis.

Plures huic tumori peculiarem illam denominationem *herniae* ſiue *hydropis ſacci lacrymalis* tribuerunt. Hanc vero ductus naſalis obſtructionem producere valent praeter vulnera vel contuſiones in vicinia viarum lacrymalium, plures naſi laeſiones, praeſertim fracturae horum oſſium vel alius cuiuscunque oſſis vicini; caries cum vlceribus, quae, vbi ad ductum naſalem penetrauerint, eundem poſtmodum ſanata

ſanata occludunt. Idem faciunt polypi, cauum narium extendentes, ductum vero naſalem comprimentes obſtruentesque, nec non omnis irritatio, quam errhina aliaque corpuſcula, naribus forte ingeſta, producunt. Haud minorem poteſtatem habent diuturni oculorum inflammationes humidae aeque ac membranae narium pituitariae, quam ob rem et quaelibet grauedo, inter quam nares atque ſaepe ductus naſalis ipſe inflammati intumeſcunt, huc referri debet.

Obſeruatum quoque eſt, tumorem ſacci lacrymalis, clauſis punctis lacrymalibus, ortum eſſe non a lacrymarum copia, ſed ab adauctis humoribus, qui ex ſacci lacrymalis ductusque naſalis parietibus exſudare poſſe videntur.

Confundendi tamen non ſunt cum tumore ab auctis lacrymarum humoribus orto tumores cyſtici, et a plurimis viris expertis, et a memet ipſo obſeruati. Qui tumores, excepto tamen ateromate, ab illis eo diſcrepant, vt partim elaſticitate, tanquam criterio characteriſtico, omni careant, partim etiam premendo nihil diminuantur.

Morbi cognitionem facilitant diuerſa, quae a ductus naſalis obſtructione oriuntur, incom-

incommoda, in quibus nominari debent fluxus lacrymarum inuoluntarius, narium ſiccitas, ſacci lacrymalis frequens repletio indeque oriundus tumor, cum preſſionis et tenſionis ſenſu inter oculi palpebrarumque motum coniunctus. Quod vero impedimentum valde leuatur, dummodo ex interuallo ſaccum lacrymalem digito comprimentes, contentum illum liquorem aut per puncta lacrymalia, aut per ductum naſalem ipſum, adhuc non penitus clauſum, euacuare ſtudeamus. Expreſſus iſte liquor frequentiſſime pellucidus, ſaepe etiam albumini ouorum ſimilis, interdum vero purulentus eſſe ſolet.

Sacco lacrymali hunc in modum euacuato tumor aliquamdiu euaneſcet, qui tamen ſerius ocyus pro maiore minoreue oculi humiditate vel lacrymarum copia denuo repletur.

Cum lacrymarum ſecretio ex palpebrarum motu augeatur; hae vero durante ſomno quieſcant, vel humorum lacrymalium intra ſaccum lacrimalem collectio inter vigilandum celerius fieri ſolet, quam homine dormiente.

Si

Si lacrymae adauctae repetitā pressione saepius euacuantur, priusquam tumor appareat vel saccus lacrymalis nimium extenditur, malum interdum eo ipso iam tollitur, vel saltem magnopere leuatur, quia humores lacrymales qualitatem suam naturalem nunquam amittunt. Neglecta humorum collectorum euacuatione, tumor quidem citra omnem mutatam cutis faciem augetur, perit autem pelluciditas liquoris, mixti alia quadam lentaque pituita, quae primo adspectu puri similis videtur. Mox etiam tumor ob acres humores inflammari atque dolores creare incipit, contento liquore puris veri indolem nacto. Inflammatione dein magis magisque aucta non solum ductus nasalis, sed canales etiam lacrymales clauduntur, nec saccus lacrymalis vspiam euacuari potest. Qua propter ille ob pituitam contentam atque de die in diem auctam ita demum extenditur, vt disruptionis vrgeat periculum. Bene tunc aegro consulitur saccum lacrymalem scalpelli ope aperiendo, quam medelam nonnulli temere reiiciunt *), vtpote cum non in-

*) Bell. l. c.

inflammatio ſolum, per violentam ſacci lacrymalis extenſionem aucta, facta inciſione diminuitur, ſed quoque omnis exulcerationis in loco affecto tumor auertitur. Denique aperto tumore vel poſt natam ſuppurationem ſponte rupto, humores contenti euacuantur atque diſparent cuncta inflammationis indicia. Vulnus illatum vel ſubortum poſt aliquot dierum ſpatium plerumque ſanatur, ſed ob nouam lacrymarum vel pituitae colluuiem denuo ſaepe recrudeſcit, donec poſt repetitam ſanationem et recrudeſcentiam margines orificii, quod ductus naſalis eſt, calloſi demum facti atque replicati non amplius coaleſcunt. Quo demum in caſu prohiberi nequit, quominus pituitae, lacrymarum, vel puris copia maior minorue ſupra genas defluat atque vera oriatur fiſtula lacrymalis.

Exitus quidem a cauſſis dependet. At in genere notandum eſt, malum recens ortum faciliorem ſanationem admittere, quam inueteratum vel alio quocunque morbo miasmatico coniunctum.

Magna quoque pro cauſſarum, quae ductus naſalis obſtructionem pepererunt, diuerſa indole quoad medelam exhibetur differentia; etenim aliam curationem polypi

pi narium, aliam vulnera, contuſiones et oſſium vicinorum fracturae, aliam dein corpora aliena exigunt, quae naribus ingeſta vel violentam alunt irritationem vel premendo nocent. Dein ſedulo ponderandum eſt, vrgeat ſola obſtructio, an quoque inflammatio, ſuppuratio, vel exulceratio, quibus in ſpecie pertractandis ſuperſedere poſſe mihi videor.

At praeterire nequeo, in ſacci lacrymalis vel ductus naſalis magna intumeſcentia, tanquam remedium ſoluens et purificans, inſignem crebro opem tuliſſe kali cauſtici pauxillum, in aqua calcaria vſta ſolutum atque quotidie bis terue per punctum lacrymale inferius iniectum. Eundem in finem quoque commendari poſſe reor decoctum herbae ſaluiae atque agrimoniae, addito mellis roſarum pauxillo, nec non hydrargyri muriatici corroſiui granum vnum in aquae fontanae deſtillatae vnciis quatuor ſolutum. Magnopere tamen in horum remediorum vſu cauendum eſt, ne violentae viarum lacrymalium irritationi noua vel maior ſuperueniat inflammatio.

Ab aliis alia commendata ſunt remedia externe adhibenda, quorum tantum nonnulla

nulla et praecipua indicabo. His accenſeri meretur compreſſionis methodus a FABRICIO *ab aqua pendente* *) inuenta, poſtmodum vero a JOANNE LVDOV. PETIT correcta. Cum vero haec medendi ratio in ductus naſalis obſtructione plus damni quam vtilitatis afferat, eam penitus reiicerem. In huius remedii locum mox ſucceſſit methodus ANELI **) qui ductum naſalem obſtructum ope ſpecilli globulo inſtructi per punctum lacrymale ſuperius deorſum verſus aperire conatus per eandem viam medicamenta iniecit. Hac quidem ratione non idem ſolum, ſed quoque cel. HEISTERVS ***) ductus naſalis obſtructiones ſanaſſe affirmat. Verum enim vero ſubleſtae prorſus fidei eſſe videtur haec affirmatio, quoniam inſtrumentum, quo vſi ſunt viri memorati, non ſatisfacit ad tantos effectus producendos. Negari tamen nequit, hanc methodum quandoque, vt in

*) Vid. eiusd. opera chirurgica P. II. Cap. XXII.

**) Nouvelle methode de guerir la fiſtule lacrymale au Recueil de differentes pieces pour et contre et en faveur de la même methode nouvellement inventée par Dom. Anel Tur. 1713.

***) Inſtitutt. chirurg. P. II.

in pituita vias lacrymales obſtruente, vllius frugis fore. Praeterea notandum eſt, ſpecilla ex metallo quodam confecta hunc in finem parum proficere, quoniam ipſis vel deeſt omnis flexibilitas, vel tanta ineſt mollities, vt prorſus nulla gaudeant vi elaſtica, admodum neceſſaria. His incommodis accedunt incuruationes et gibbi nati, quibus eiusmodi ſpecillum, aliquoties adhibitum, mox redditur inutile. Quamobrem ſimilia inſtrumenta *) ex teſti cortice externo conficienda curaui. Quae cum valde ſint elaſtica, et ſponte cedunt cuilibet ductus naſalis flexui, et in priſtinam ſuam directionem facile reſiliunt. Prius autem, quam adhibeantur, in oleum amygdalarum recens paratum immergenda ſunt.

Ceterum methodus ANELI, vix diuulgata, cedere iamiam debuit efficacioribus auxiliis, pro ductu naſali aperiendo inuentis. In his *methodus* FORESTIANA **), cuius tamen inuentionem FORESTVS ipſe de la FAYO

---

*) Cf. Tab. aen. ſubiunct. fig. a.

**) Memoires de l'Academie de chirurgie. T. II. p. 175.

Fayo tribuit, ceteris facile palmam praeriperet, nisi specilli, quod ille commendauit, ad figuram S incuruati, atque insuper debito crassioris, in ductum nasalem immissio esset admodum difficilis. Iniectiones quoque tubuli itidem curuati eiusque ad siphonem adacti adminiculo eundem fecisse, eaque ratione ductus nasalis obstructiones sublaturum fuisse, legimus. Hac vero medendi via visurus certiorem feret opem, si nonnullis horis ante specilli vel tubuli applicationem solutionem gummi mimosae vel decoctum radicis Altheae saturatum crebro naribus excipere aegrum iubeat. Sic enim membrana narium pituitaria, admodum sensibilis, torpida quasi redditur. Illa vero cautione neglecta, sternutatio vehemens, quae instrumentorum applicationi illico superuenit, omnem curantis perdit operam.

Aliam medendi rationem Blizardivs *) proposuit. Haec quidem in eo consistit, vt saccus lacrymalis iniecto hydrargyro puro replea-

*) A new methode of treating the fistula lacrymalis. London, 1780.

repleatur, quem in finem adhibetur tubulus vitreus, cui subtilior chalybeus insertus agglutinatur. Eandem postea methodum *Cel.* BEER *) magno cum fructu secutus est, licet ea non nisi in obstructionibus levioribus et incipientibus quodammodo prodesse videatur.

Praeter allegatas hasce curandi methodos aliae adhuc prosunt, vt MEIANI, CABANI, GVERINI, PALLVCCI, ANTON. et LVD. PETITI, MONROI, HVNAVLDI, STAHLII, LAMORIERI, St. IVESII, WOOLHOVSII, quas tamen praeter inuentores suos nemo in vsum vocare atque laudare ausus est.

Plura de iisdem aliisque minoris adhuc momenti medelae generibus disci possunt ex RODBERGI **), SCHVLZII, BLIZARDI, WATHENII, et BEERII scriptis.

*) *Repertorium über die Augenkrankheiten. 2. Th. S. 64.*

**) Vid. eiusd. Diss. de fistula lacrymali Praes. HEISTERO 1716 defens.

Caput

Caput III.

De fiſtula lacrymali metaſtatica.

Vt aliae qualescunque corporis partes, ſic quoque viae lacrymales a morbis vniuerſalibus, praeſertim tamen miasmaticis, ita quandoque inuaduntur, vt illis iam dudum curatis adhuc vigeat moleſtum lacrymarum profluuium. Id quod petendum eſſe videtur a materia quadam acri, quae a vaſis ſecernentibus ad canthum oculi internum depoſita perpetuam alit irritationem. Huic vulgo ſuperueniunt febris atque inflammatio vel leuis et tranſitoria, vel tantopere increſcens, vt ductus naſalis ſuperficie interiore tumefacta penitus prohibeatur lacrymarum ad membranam pituitarium depoſitio. Huic vitio oriundo variolae *) morbilli, rubeolae, rheumatismi, ſcrofulae, rachitis et lues venerea

*) Garangeot (Traité des operations de chirurgie) recte obſeruat; miasma varioloſum vitioſam inprimis lacrymarum ſecretionem reddere.

nerea potiſſimum fauent, licet ad materiam ſpecificam, poſt illos morbos in corpore relictam, culpa nequaquam transferri poſſe videatur.

Punctis et canalibus lacrymalibus inflammatione haud prorſus correptis, humoris lacrymalis quoque non ceſſat abſorptio, ſed huiusce adhuc multum ſacco lacrymali ſuggeritur magis magisque intumeſcenti doloremque inflammatorium augenti. Plerumque autem euenire ſolet, vt punctum lacrymale inferius ſolum claudatur, ſuperioris contra, maximam adhuc partem patentis, functionibus nequaquam turbatis.

Difficilior inter haec eſt exitus praedictio, quam in caſu praecedente, capite ſecundo expoſito.

Omnis curationis cardo, donec vrgeant inflammationis ſigna, vertitur in adornando methodo antiphlogiſtico. Corporibus validis et plethoricis vtilis eſt larga ſanguinis euacuatio, quam excipiunt, ſi morbus inde non leuatus eſt, hirundines, prope locum affectum applicandae Deriuandi ſcopo egregie inſeruiunt pediluuia calida, crebro repetita. Pro vſu interno potiones antiphlogiſticae

giſticae atque purgantia ſalina vt plurimùm ſufficiunt.

In ea viarum lacrymalium inflammatione, quae a cauſſa rheumatica vel arthritica ſumſit originem, praemiſſa methodo antiphlogiſtica egregium praeſtat fructum extractum aconiti napelli, in vino ſtibiato ſolutum, nec non idem vinum cum tinctura opii ad partes aequales mixtum atque omni bihorio ad guttulas viginti ſumendum.

Hac medicina et acerbiſſimos dolores, et tumores, in loco affecto vrgentes, ſaepius profligaſſe mihi contigit, perdurante tamen lacrymarum copioſo defluxu. Interdum quoque tumorem prope interiorem oculi canthum, absque tamen omni dolore atque inflammatione, remanſiſſe vidi. Saepius autem, adhibita omni cura atque diligentia, tumor natus ad ſuppurationem tendit, cuius inſtantis ſimulac apparent indicia, cataplasmata ex mica panis albi, polenta atque puluere ſeminum lini cum lacte decoctis parti laboranti calide ſuperimponenda ſunt. Poſt horum vſum abſceſſus plerumque ſponte rumpit, rarius exiguam punctionem exigit, quae ſcalpelli ope infligitur. In vtroque caſu ſufficit vlcus

ſubortum

ſubortum bene expurgare, atque emplaſtri vel vnguenti idonei adminiculo ab aëris iniuriis tueri. Cauere autem ſibi curantis eſt, ne vulnus linteo carpto inſerciat, quo quidem auxilio incongruo ſaepe fiſtula vera naſcitur.

Praeterea morbi, qui malo praeſenti anteceſſit, ſedulo ponderari debet indoles; namque alia curatione opus eſt, vbi lues venerea, alia, vbi arthritis, alia dein, vbi variolae etc. in cauſſa fuerunt.

In remediis externis inſtar omnium laudari merentur veſicatoria et ſetacea, quibus ad ceruicem applicatis longa alitur ſuppuratio.

Hunc in modum morbus ſaepe penitus tollitur. Rarius vero idem, priſtina recuperata facie, vulnusculum incurabile relinquit, quod perpetuo fauens lacrymarum de genis defluxui, *fiſtulae* nomen iure meretur.

Caput IV.

De
ſacci lacrymalis debilitate.

Saepe accidere ſolet, vt ſaccus lacrymalis nimium in modum repletus et extenſus ob neglectam, qua ex interuallo opus fuiſſet, humorum contentorum expreſſionem omni orbetur vi contractili. Id quod vitium cum cauſſis prioribus vulgo coincidit, licet hoc interdum quoque praeuiae fiſtulae lacrymalis operationi ſuperueniat. Attamen hoc a reliquis eiusdem morbi generibus facile dignoſcitur tumore prope canthum oculi internum nullatenus inflammatorio, ex quo tamen, digitis leniter compreſſo, liquor pellucidus et aquoſus et per nares, et per puncta lacrymalia prorumpit.

Quae humoris collecti expreſſio, ex interuallo repetunda, quo magis negligitur, quoque diutius malum iam durauit, eo difficilius redire ſolet partium affectarum integritas.

Omnis autem ſalutis ſpes poſita eſt in perdito ſacci lacrymalis atque muſculi palpebrarum

pebrarum orbicularis tono quam primum reſtituendo, cui fini potiſſimum inſeruiunt remedia roborantia, loco affecto adhibita.

In ſpecie autem huc pertinent

1) Fomentationes ex decocto corticis quercus et radicis tormentillae, vel addito alumine, vel ſine eo. In ſubſidium quoque vocari poſſunt aluminis et zinci ſulphurici ſolutiones, mixtura vulneraria acida, aqua frigida, et ipſa demum glacies.

2) Frictiones, quae adhibito quodam ſpiritu fortius adſtrigente, tinctura cantharidum etc. fiunt.

3) Iniectiones, per puncta lacrymalia ad ſaccum lacrymalem deuenientes. Remedia hisce idonea ſunt mixtura vulneraria acida, quae aqua diluta eſt, nec non zinci ſulphurici, aluminis, lapidis diuini atque argenti nitrici ſolutiones, addito quandoque tincturae opii pauxillo.

4) Vis electrica ita adhibita, vt ſcintillis e loco affecto euocandis ſenſim reſuſcitetur perdita eiusdem irritabilitas.

Quamquam facci lacrymalis atonia ad fiftulam veram producendam raro fufficit, haec tamen ob neglectam, qua quidem ex interuallo, opus eft, humorum lacrymalium euacuationem facile gignitur. Ortam vero atque medicamentis idoneis cedere nefciam tollere curantis eft operatione quadam chirurgica.

Prius tamen, quam ad hanc confugere liceat, fedulo inquiri debet, fiftula lacrymalis adfit *fimplex* an *compofita.*

Simplicem eam voco, quae vel a fola obftructione vel conftrictione ductus nafalis, vel a cauffa metastatica, vel a relaxatione et atonia facci lacrymalis orginem trahit.

Compofitam vero appello, cui exoftofes, fracturae, caries, polypi, tumores cyftici, vel faccam lacrymalem, vel ductum nafalem, vel aliam qualemcunque partem, loco affecto proximam, occupantes, comites fefe adiungunt. Quae vitia acceffloria, ni cum fiftula ipfa tolluntur, dubium reddunt operationis euentum.

Caput

Caput V.

De fiſtulae lacrymalis operatione.

Opem autem ferre debet dextre curaturus

1) perſcindendo cutim in loco affecto aperiendoque ſaccum lacrymalem;
2) aperiendo ductum naſalem obſtructum;
3) perforando os vnguis, ſed vrgente tantum neceſſitate;
4) chordam ex inteſtinis contortam in ductum naſalem vel artificialem immittendo;
5) ſpecillum plumbeum inſerendo, quo ductus exſiccatur.
6) tubulum aeneum applicando, ne ductus exſiccatus nimis contrahatur;
7) vulnus apertum ad cicatricem perducendo.

De quibus ſingulis in ſpecie dicam, oportet.

Caput VI.

De
facco lacrymali dextre aperiendo.

Fiftulae autem lacrymalis operatio ordiri debet, vti iam fupra monui, a cutis faccum lacrymalem operientis incifione, ita quidem, vt ab alio quodam adiutore et caput aegroti figatur, et palpebra fuperior a cantho oculi interiore exteriorem verfus aliquantulum attollatur. Vbi vero nemo manu medenti praefto eft, ipfe digito indice manus finiftrae palpebram fuperiorem furfum, inferiorem autem admoto pollice paullo deorfum cogendo cutim intendat, vt ligamentum interpalpebrale mufculi orbicularis in confpectum veniat atque tumoris incifio facilius perficiatur. Incidi vero debent integumenta, faccum lacrymalem ambientia, ope fcalpelli acutiffimi eiusque acuminati, quod ad longitudinem linearum fex ab interiore oculi cantho genam verfus infligitur, ne fcilicet fibrae mufculi orbicularis palpebrarum transuerfim perfcindantur, neque ligamentum interpalpebrale laedatur.

Sunt

Sunt quidem, qui ab hoc ligamento inciſo nihil damni oriri*) credunt; at ſemper caueamus, oportet, ne plus, quam neceſſe eſt, ſecemus, vtpote cum praeſertim huic laeſioni facile ſuperueniat ectropium.

Multum porro iuuat vna cum integumentis incidere fiſtulae ipſius orificium; namque ſic malum tutius curari, obſeruatum eſt. Cui tamen praecepto, licet vtiliſſimo, quominus ſatisfieri poſſit, ſaepe caſus vetat. Etenim fiſtulae orificio prope naſum haerente vel pluribus orificiis ſimul conſpicuis, fieri nequit, quin ſcalpello inflicto fibrarum muſcularium, quae palpebris inſunt, plures transuerſim laedantur, et quidem haud ſine grauiori noxa. Hoc in caſu ab orificii inciſione plane abſtinendum erit. Huic quoque obſtant margines orificii indurati et calloſi, quos potius argenti nitrici fuſi vel kali cauſtici ope erodere conuenit.

Inci-

*) V. RICHTER, *Wundarznei-Kunſt* 2. *Th.* §. 514. BEER *praktiſche Beobachtungen über Augenkrankheiten S.* 104. SABATIER, *Lehrbuch für Wundärzte* 2. *Theil S.* 408.

Incifione caute facta, faccus lacrymalis tumidus, e vulnusculo inflicto prominens, facie, quae ipfius eft, alba atque nitida a partibus vicinis facile dignofcitur. Aperitur ille ad vulneris prioris directionem vel fcalpello curuo, quod Exp. CAROL. HENR. BERNH. WEIGEL *) hunc in finem propofuit, vel eodem recto, quo cutis incifa eft. Sedulo tamen cauendum eft, ne laedatur facci facies pofterior, quo infortunio facillime adducitur magna inflammatio, exulceratio, vel perniciofa caries. Quamobrem nonnulli duce MONRO **) fuaferunt, vt fpecillo per puncta lacrymalia immiffo receptaculi paries anterior tantum, quantum fatis, eleuaretur. Exp. WEIGELIO ***) idoneum vifum eft fpecillum argenteum in extrema parte fulcatum, dein vsque ad manubrium integrum et duplici modo incuruatum. Sed haec operandi methodus tam laboriofa eft, vt a paucis tantum feli-

*) Vid. eiusd. Diff. inaug. fiftens experimenta chemica et inftrumenta chirurgica emendata. Griphiae 1785. § 98. fig. fubi. 8.

**) Medical. effay and obfervat. Vol. III.

***) l. c. ibid.

feliciter exerceri poſſit. Cum enim ſaccus lacrymalis nunquam humore omni vacuus eſſe ſoleat, nemo, niſi rudis in chirurgia, illius faciem poſteriorem adeo facile laedet.

Peracta iam hac prima operationis parte, vuluus linteis carptis ſubtilliſſimis leniter expletur, totumque emplaſtro exiguo ſemilunari obtegitur.

Conſilium ab aliis datum eſt *), vt lintea carpta, ſacco lacrymali vulnerique explendo adhibita, fili ope in medio ſuo colligarentur, propterea diſſuadendum erit, quod aegroto preſſionem non niſi doloremque adferret, cum potius quaeuis irritatio plane ſit euitanda.

Quae autem vulneri immiſſa ſunt lintea carpta, elapſo aliquot dierum ſpatio plerumque ſponte extruduntur, ideoque non opus eſt, vt illa violenta manu extrahantur. Soluta demum ex interuallo renouanda ſunt. Praeterea inflammationi me-

*) Beer, *practiſche Beob. über Augenkrankheiten* S. 106. et eiusd. *Lehre der Augenkrankheiten.* 1. *Th. S.* 144.

metuendae occurrere natamque tollere curantis eſt. Hinc pro aegri viribus modo potiones refrigerantes propinentur, modo venaeſectiones inſtituantur, neceſſe eſt. In remediis externis ad inflammationem ſolvendam plurimum valent acetum ſaturninum, ſpiritus vini camphoratus, tinctura opii et aqua florum ſambuci, quibus ſplenia imponenda humectantur.

Caput VII.

De aperiendo ductu naſali.

Tumore et inflammatione, quae operationi ſuperuenerunt, intra quinque vel ſex dierum ſpatium diſſipatis, tum demum ductum naſalem transfodere licet. Hunc in finem chirurgus optime vtitur ſpecillo chalybeo, cuſpidem non globato, quale fig. b. delineaui. Contra ſpecilla, quae globulis inſtructa ſunt *), nec non acus textoriae

*) V. Beer *Lehre der Augenkrankheiten.* I. *Th.* §. 236. *und* Tab. I, fig. 10.

riae *), minus conueniunt, quoniam ipſo applicationis momento facillime altius penetrantia laedunt interiorem naſi faciem, quo vitio caret illud, cuius diameter a cuſpide manubrium verſus paullatim augetur. Eodem quoque iure reiiciendum eſt, quod MONRO aliique in medium protulerunt, ductum naſalem ope ſubulae bene acutae perfodendi conſilium.

Ductum naſalem apertum eſſe cognoſcitur ex ſanguinis aliquot guttulis, quae ex naribus aegri vel ſponte deſtillant, vel mungendo eliciuntur; nec non liquore, qui per vulnus iniectus eſt, per nares reddito.

Simulac ductum naſalem aperuiſſe, vulnusque ab omni ſanguine purgaſſe contigit medico, tenuis chorda ex inteſtinis contorta, cuius extremitas inferior laeuigata eſt, immitti debet. Ante vero eadem ſaliua vel lacte humectanda eſt, vt facilius in cauum naſi traduci poſſit, neque aſperitate ſua partes, quas penetrare cogitur,

*) Vid. RICHTER, *Wundarzneik.* 2. B. §. 517.

tur, admodum ſenſibiles, nimis offendat. Huius autem extremitas ſuperior retroflecti debet, ne in ductum naſalem delabatur. Ceterum eadem obſeruanda ſunt, quae iam ſupra indicaui.

Audiri ſane non merentur, qui ductui naſali vix perforato ſpecillum plumbeum immitti ſuadent *), vtpote cum hoc temerario auxilio et dolores intolerabiles concitentur, et ſupprimatur ſuppuratio neceſſaria, cui nequaquam contrarius eſt chordarum vſus.

Ex his eam, quae omnium prima applicata eſt, per trium dierum ſpatium in vulnere relinqui conducit. Hac autem exemta, noua quotidie atque priore ſemper fortior immitti debet. Itemque lintea aliaque epithemata in dies ſingulos renouari oportet.

Ductu naſali aperto atque per chordae immiſſionem bene ampliato, id quod vulgo elapſis tribus vel quatuor hebdomadibus con-

*) Vid. Bell, *Lehrbegriff der Wundarzneikunſt.* 3. *Th.* p. 384.

contingere ſolet, eiusdem exſiccandi cura habenda eſt, ne debito fiat anguſtior neque denuo claudatur. Qui finis probe obtinebitur partim iniectionibus, vt aqua calcaria vſta, ſolutione plumbi acetici, zinco ſulphurico, alumine, argento nitrico fuſo, ſpiritu vini cum aqua, vel mixtura vulneraria acida cum aqua diluta; partim quoque plumbei ſpecilli immiſſione, qualem fig. c. expreſſi. Cuius vſus tamdiu continuari debet, quamdiu ſuperſit vllum ſuppurationis veſtigium, neque ductus naſalis ita ſit ampliatus, vt ſpecillum aliquod vulneri immiſſum ſponte quaſi in ductum naſalem delabatur. Id quod elapſis circiter ſex vel ſeptem hebdomadibus euenire ſolet, quo tempore ſpecillum remouere vulnusque ad cicatricem perducere licet. Attamen, vt tutius agatur, iam tubulum aeneum vel rectius plumbeum, fig. d. delineatum, ductui naſali immitti ſuaderem, vulneris inſuper claudendi ratione ſemper habita.

Plurimis in caſibus poſt operationem peractam ſubſecutamque ſanationem lacrymae per ductum naſalem apertum in naſum defluunt: attamen accidere quoque ſolet, vt praeuia nimis forti extenſione et ſaccus lacrymalis, et fibrae

muscuii

musculi orbicularis palpebrarum magnopere relaxentur, lacrymis vero hanc ob caussam in sacco lacrymali abunde recollectis, nouus tumor oriatur. Quod malum vt plurimum vel remediis externis adstringentibus roborantibusque supra laudatis, vel adhibito instrumento compressiuo, quod Cel. BELL *) delineauit, tollitur, interdum quoque auertitur.

Saepe autem haec cuncta nil prosiciunt, sed ductus nasalis, denuo clausus, vel repetitam sacci lacrymalis expressionem, vel recentem operationem exigit.

---

*) Vid. eiusd. *Lehrbegriff der Wundarzneikunst* Tab. IV. fig. 49. Cf. RICHTER l. c. § 539.

Caput

Caput VIII.

De compensando ductus nasalis defectu atque ossis vnguis perforatione.

Quodsi igitur, vt iam monui, frustra sudatum fuit in restituendo eo, qui secundum naturam est, lacrymarum itinere; nihil restat, nisi vt orificium ductus nasalis artificiale terebretur. Hoc autem optime fieri solet in sacci lacrymalis et ossis vnguis infima parte, vt vulnus satis remotum sit a canaliculis lacrymalibus, qui inflammatione correpti facile coalescunt.

Praecipuum instrumentum, quod ossi vnguis perforando inseruit, est acus triquetra, qualem Cel. Bell *) delineandam curauit. Minus ad hunc vsum idonea sunt forfices curui, a quibusdam laudati; quoniam tundendo magis quam terebrando agunt ideoque

*) V. l. c. Tab. IV. fig. 50.

ideoque partes adeo, quibus parcendum esset, facile destruunt.

In perforationis acto ipso caput aegri versus fenestram directum a socio quodam figitur. Deinde chirurgus ipse tubulo, quem altera manu tenet, per cutaneum vulnus saccumque lacrymalem ad locum perforandum ingesto, altera manu prehendit instrumenti aculeum, quem in tubulum immissum caute versus os vnguis adigit eiusque perforationem quasi torquendo directione obliqua, deorsum versus, in nasum conficit. Aculeum vero nares pertigisse partim ex cessante, quae ante vrgebat, resistentia, partim ex sanguine destillante cognoscitur.

Perforatione facta, instrumenti aculeus extrahitur, tubulus vero in apertura facta adhuc remanet, donec per eum chorda, immissa sit. Dein tubulo remoto trombulus, ex linteo carpto confectus, per ipsum vulnus, quod apertum seruari debet, ingeritur; chordae vero extremum, quod e vulnere paullulum prominet, supra dictum in modum flecti atque emplastro paruo, quod simul vulnus externum obducat, adfigi debet. His ita dispositis inflammationi facile subsequenti reniti conuenit. Triduo elapso,

elapſo, ni vrget inflammatio, emplaſtrum vna cum linteis carptis remouere et in chordae locum aliam, ſed praecedente craſſiorem, immittere chirurgum oportet, vti iam ſupra monui. Pluribus hebdomadibus inter hanc medelam elapſis, tubulus nouus, fig. e. delineatus, immittitur atque vulnus externum, ni recens ſuperuenit inflammatio, ad cicatricem perducitur. Quodſi forte exulceratio, excreſcentiae fungoſae vel cáries, in parte laborante natae, perforationi obſtant; ſaniem china, myrrha, melle roſarûm et his ſimilibus compeſcere, carnem fungoſam ferro vel remediis cauſticis, (his tamen caute adhibitis, ne oculum ipſum inuadant), extinguere atque oſſicula carioſa tincturae myrrhae, aloë, aſa foetida, ſpiritu ſulphurico aethereo, acido phoshporico aliisque aptis remediis ad exfoliationem perducere convenit.

Remotis igitur, de quibus modo dixi, perforationis impedimentis, in modum ſupra poſitum proceditur. Ceterum vbi caries ipſa orificium quoddam artifiale feceri, eo videndum eſt, vt hoc lacrymis defluentibus ſatis pateat.

Quemadmodum olim primariam fiſtulae lacrymalis cauſſam diuerſis medicamentis

tollere tentatum eſt, ſic quoqueii, qui manu medentur, in diuerſas abierunt operandi methodos. In his viris primo recenſeri debet POVTEAV *), qui inciſionem non in exteriore, ſed potius interiore palpebrae ſuperficie ad cauendum cicatricem fecit, aperto ſimul ductu naſali et trausmiſſo per eundem funiculo bombycino coccineo.

Alii cutim incidendo vna ſaccum lacrymalem aperiebant, animo ſibi fingentes, facta ſolum via artificiali, per os vnguis ad nares producta, quam quidem modo vſtione, modo perforatione pateſacere ſtudebant, aegrum ſanari poſſe **).

Peculiari prorſus medendi ratione, eaque, ſi inuentori credere liceret, ad leuandos dolores aptiſſima, ſimplici, breui, atque

*) SABATIERS *Lehrbuch für Wundärzte.* 2. *Th.* *S.* 422.

**) V. St. YVES *Tractat von Augenkrankheiten.* § XIX. PALFYN, *Abhandl. der vornehmſten chirurg. Operat.* *S.* 445. VERDVECKS *chirurg. Schriften.* 1. *B.* *S.* 71. MAITRE JEAN *Tract. von Augenkrankheiten.* *S.* 403.

atque ceteris longe tutiore JVRINE *) vſus eſt.

Hic quidem ope acus triquetrae, ad angulum 150 — 160 graduum directae, eiusque lineam circiter a ligamento interpalpebrali muſculi orbicularis infixae punctionem fecit, paullulum oblique et introrſum per integumenta externa ad ſaccum lacrymalem penetrantem. Eodem quoque inſtrumento ille vſus eſt ad ductum naſalem aperiendum, quem primo immiſſo filo quodam ſerico, poſtmodum vero adhibitis quinque filis xylinis, cera conglutinatis, iisque ſenſim adauctis, ampliare conatus eſt. Hunc in modum ſine cicatrice relicta curationem perfici, eamque methodum vel a chirurgis minus peritis exerceri poſſe opinatus eſt inuentor.

Methodi, quas noſtra aetate chirurgi in fiſtulae lacrymalis operatione ſequuntur, parum diſcrepant a ſe inuicem, quamquam inſtrumenta non omnibus eadem placeant.

Pro ductu naſali ampliando chorda, quam BELL et RICHTER, viri celeberrimi, lau-

*) Vid. Journal de medecine. 1791. Decemb.

laudarunt, ex inteſtinis ducta ceteris remediis palmam praeripere mihi videtur, ſicuti exſiccandi ſcopo nihil accommodatius eſſe crederem ſpecillo plumbeo. Sic quoque e tubulis immittendis plumbeos ob vim, qua gaudent, exſiccantem omnium optimos eſſe cenſeo, licet vel horum, ſi formam ſpectas, diuerſae dantur ſpecies *). Ego quidem olim illo, quod Bell **) delineauit, haud ſine omni fructu vſus ſum; poſtea vero eos, qui infundibili formam nacti ſunt, maiore cum ſucceſſu adhibui, vt ex ſequentibus patebit.

*) Vid Bell l. c. 2. *Th.* Tab. V. Richter l. c. 2. *Th.* Tab. III. Cf. Ehrlich *chirurg. Reiſen.* 1. *B.*

**) l. c. Tab. aen. n. 56 et 63.

Fiſtu-

Fiſtulae lacrymalis congenitae eiusque feliciter ſanatae exemplum.

Duobus abhinc annis a ciue quodam Berolinenſi rogatus, vt eiusdem infantem recens natum, congenito quodam oculorum vitio affectum, inviſerem, in cantho oculi dextri interiore tumorem magnitudine nucis avellanae reperi, eumque parvo orificio fiſtuloſo, per quod tenuiſſimum ſpecillum demitti poterat, inſtructum, reperi ceteroquin album et nequaquam dolorificum. Hic quidem, quoties digito comprimeretur, humorem collectum et per natum orificium, et per puncta lacrymalia, nunquam vero per nares reddere ſolebat. Exoneratus vero adhuc fabae arabicae maioris ambitum aequabat, reſidua quadam, vt credere fas erat, materia pituitoſa. Ceterum aegrotulus, a ſanis parentibus progenitus, optima vtebatur valetudine.

Du-

Ductus naſalis obſtructionem in cauſſa eſſe ratus parentibus conſilium dedi, vt tumorem, quoties hic renaſceretur, digitis leniter premendo exonerarent. Praeterea collyrium ex granis duobus kali cauſtici, in aquae fontanae vnciis duabus ſoluti, additis tincturae opii crocatae guttulis viginti, ope calami ſcriptorii in dies ſingulos quater ſexiesue cantho oculi interno inſtillari iuſſi.

Aliquot diebus elapſis, cum nullatenus mutata eſſet mali facies; ſpecillum, ex teſto confectum, tenuiſſimum ductui naſali immittere tentaui. Mox vero auſo excidere coactus priori medicina acquieui.

Die duodecimo ſolutionem ſupra memoratam ope ſiphonis Aneliani per foraminulum illud, quod natum erat in ſacci lacrymalis ſuperficie, in ductum naſalem iniicere ſtudui, ratus, hoc fortaſſe auxilio pituitam collectam ſolui ductumque naſalem obſtructum reſerari poſſe.

Cum vero huius medelae nullum prorſus ſingularem obſeruaſſem fructum, iniectionem tantum omni quatriduo repetii, inſtillationem contra quotidie fieri iuſſi.

Non ita poſt accidit, vt ſaccus lacrymalis vna cum cantho oculi interno inflammationem ſuſciperet, quo infortunio vel punctum lacrymale inferius atque orificium fiſtuloſum penitus contracta clauderentur. Iam vero ſaccus lacrymalis ob denegatum humorum collectorum effluxum magis, quam vnquam, intumuit. Huic incommodo ſuperuenerunt, dolores, tam valde excruciantes, vt aegrotulus miſer a leniſſimo tumoris attactu vagitum ingentem ederet. Idcirco decocta herbarum emollientium per aluum iniici atque ex iisdem cataplasmata tumori ſuperimponi conſultum eſt, ſubiuncto ſimul interno opii vſu.

Excurſo aliquot dierum ſpatio recens apparebat in eodem tumore foraminulum,

ex

ex quo magna humoris pituitosi prodibat copia, altero post discussam inflammationem pariter recluso. Dein saccum lacrymalem iniecto decocto herbae agrimoniae, addito liquamine myrrhae et melle rosarum in dies singulos expurgaui, donec infans consanesceret.

Quo facto parentes flagitabant, vt operatione, cui magnopere confidebant, infanti suo penitus mederer, quamquam ob aegrotuli imbecillitatem atque tempestatis frigidae iniurias repetitis precibus cedere nollem. Aiebant adeo, sese ab alio chirurgo opem petere velle, nisi eandem ipse quam primum ferrem.

Operatio autem die decimo mensis Februarii, et quidem anno praeterlapso, praesentibus viris pluribus, artis bene peritis ita coepta est, vt palpebra superior ab adiutore paullulum eleuaretur, dum ipse inferiorem deorsum cogerem. His ita dispositis, primo incisionem feci ad quinque linearum longitudinem per integu-

menta

menta ad ſaccum lacrymalem vsque penetrantem. Deinde ſaccum lacrymalem ipſum a facie ſuperiore deorſum verſus (pungendo tamen magis, quam ſecando) eo, quem ſupra indicaui, modo aperui, apertumque aqua tepida diligenter expurgaui. Quo facto totum vulnus linteo carpto ſicco expleui, expletum vero emplaſtro adhaeſiuo et huic ſuperimpoſito linteo plicato operui, quae cuncta faſcia quadam circulari continebantur.

Operatione peracta, aegrotulo tincturae opii ſimplicis grana nonnulla porrecta ſunt, quae mox ſomnum adferebant. Iam rediit ſub veſperam eiusdem diei priſtina aegrotuli alacritas. Poſtero die et ſequentibus, omnibus medicamentis ſepoſitis, emplaſtrum modo recens vetuſtioris in locum impoſitum eſt.

Die tandem eiusdem menſis decimo ſexto, cum mitigata eſſent cuncta inflammationis ſimptomata, ductum naſalem, quem ante ſpongiae ceratae pauxillo, filis linteis

circumligato atque per vulnus immiſſo, ampliaueram, ope ſpecilli fig. b. expreſſi facillime aperui, aperto autem chordam ingeſſi, in extremo ſuperiore flexam. Quo facto vulnus emplaſtris et linamentis in modum delineatnm obtexi, quotidie re-renouandis. Praeterea ſingulis diebus chorda recens immiſſa eſt priore craſſior, cuius applicationem ſemper anteceſſit decocti agrimoniae iniectio.

Hoc procedendi modo per octiduum continuato ductuque naſali ſatis ampliato, chordam remoui huiusque in locum ſpecillum plumbeum fig. f. delineatum immiſi, quod in ſingulos dies cum recente eiusdem magnitudinis permutatum eſt, praemiſſis quidem ſemper mixturae vulnerariae acidae aqua dilutae iniectionibus.

Specillo plumbeo per quatuordecim dies adhibito, neque pituita amplius e vulnere prodeunte, tubulum fig. g. expreſſum in ductum naſalem inſerui vulnusque emplaſtro adhaeſiuo bene con-

tractum

tractum linteo carpto atque ſuperimpoſito emplaſtro praecedente latiore, operui. Iam poſtridie in eo erat, vt vulneris labia ſibi inuicem appropinquarentur nihilque humoris lacrymalis per genas amplius deflueret. Menſem circiter poſt vulnus in cicatricem coiuit neque vllum hodienum exinde euaſit incommodum. Plures ſane, ſimili vitio affectos, ſimilem in modum curaſſe mihi contigit, quorum tamen vnum, qui neque remediis ordinatis dextre vti, neque repetundam operationem ſuſtinere voluerat, fruſtra curatum eſſe, doleo.